

Cum autem petieritis, ut vos latere non paciamur, si quid pro comodo et subsidio Regni istius nostri fecerimus, Idcirco Vobis clementer significandum duximus, Nos nihil magis curare et agere, quam quod a Regni Huius nostri Bohemie alijsque prouinciarum nostrarum subditis auxilia valida et repentina obtineamus, et obtenta in Regni nostri Hungarie recuperacionem, parciunquc illius, et prefati Regni nostri Croacie defensionem destinemus. Commisimus item, ut cum prouinciarum nostrarum Stirie, Carinthie, Carniolie et Croacie Incolis statim agatur et tractetur, ut gentes aliquc conducantur, et in confinia predicti Regni, ad auerendum et precauendum Thurcorum Insultum disponantur; Quorum Capetaneus erit Egregius fidelis nobis dilectus Ioannes Cacdzianer, Qui, uti speramus, difficultates et pericula in eodem Regno vigencia in melius reducet, ac fideles illius subditos ab Inuasionc custodiet, et in pace et tranquillitate pristina conseruabit. In aduentu vero Maiestatis Cesaree, que intra paucissimos dies Germaniam intrabit, et in qua Nos eciam Deo volente coniungem.. bonam peditum Hispanorum Archibuseriorum partem, pociorum scilicet et magis exercitatorum, expectamus; Quos illico ad Regni nostri Hungarie sedem restituendam mittemus; hisque eciam gentes in eodem Regno prius existentes cum alijs nouis superaddemus, eorumque medio et opera pociora Regni loca et reliqua, que per angustiam temporis reparari poterunt, recuperare et pacificare studebimus, donec alia subsidia maiora, de quibus supra diximus, et alia non minora, que a sanctissimo domino nostro, Maiestate Cesarea Sacroque Imperio ac reliquis Christianorum regibus et potentibus obtinere laboramus, in tempore sequantur: Quorum causa Nos eciam ad dietam Imperialem, que ad diem VIII. Mensis Aprilis in Augusta celebrabitur, cum Maiestate Cesarea conferemus, et illic omnia ea tractare et efficere conabimur, que ad commodum et defensionem fidelium nostrorum vbicunquc existencium conducere videbuntur, Quos nullo pacto deferemus. Que omnia manifeste satis nunc arguunt, Nos nihil eorum pretermittere, ad que ex officio nostro tenemur. Quibus attentis tam vos quam alij In fide, et deo et nobis debita, constantes esse ceterisque Animum et consolacionem afferre debebitis, ut et ipsi liberacionem suam et communem omnium salutem expectent, Idque sedulo faciant et procurent, que ad fidem et debitum fidelium subditorum spectant, sicut vos et ipsos indubie facturos esse confidimus, quod erga vos et eosdem generose recognoscimus. Datum in Arce nostra Regia Pragensi die XVII. Mensis Marcij. Anno Domini M.D.XXX., Regnorum nostrorum quarto.

Ferdinandus m. p.

Ad mandatum domini Regis proprium

Jo. Mainsll m. p.

A tergo:

Reuerendo, deuoto, nobis dilecto Andree, Episcopo Tinniniensi ac abbati de Toppolczka, Consiliario nostro.